Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

. ij .

anime perficit et ad suum complementum adducat Est etiam
gratia diuisorum cordium unitiua Ut sit in diuersis uolun-
tas una Exemplum de apostolis et discipulis qui er-
ant cor unum et anima una Aqua igitur lauans ex-
terius signum expressum est quod lauemur interius ad hoc
tam efficaciter ordinatum ut si non ficte accedens
gratiam a deo reportet Et est exemplum Si aliquis
Rex in regno suo ordinaret quod quicumque haberet
tale signum a baliuo suo accipiat centum libras
dicitur centum libras valere signum illud quia ad hoc
obtinendum esset efficaciter ordinatum Quid in hiis
omnibus difficile quid impossibile quid contrarium est nature
Nam omnes quasi philosophi posuerunt deum peccatis offendi
et satisfactione digna placari Decuit nihilominus
diuina clementia qui hominem ordinauerat ad ui-
tam contra peccata hominis exhibere remedia et reme-
dia sensibilia quibus homo sensualis erudiretur ex-
erceretur et humiliaretur Ut esset eruditio ex parte ro-
nabilis exercitatio ex parte concupiscibilis Et hu-
miliatio ex parte irascibilis Valde enim rationabile est
ut qui se rebus inferioribus se subicit propter deum ab eo
reportet gratie sue donum Nam uidemus quod qui alicui re-
gi humilimente sunt iniugabiliter eius precepta cus-
todit et propter eius imperium uilibus quibusque subicit
ampla ab eo dona finaliter suscipit. Sed puto quod
dices pulchra sunt ista et satis rationi consona si consta-
ret ut dicis quod a deo essent ordinata. Sed unde
mihi hoc probas. O uana questio et non nisi astultis-
simis facta de hiis dubitare de quibus nemo dubi-
tat Quis enim est qui in dubium uertit uel hoc in questionem
adducat. Quis leges fecit iustinianas. Quis
omnis Romanorum urbis obseruat Quis dubitat
utrum Roma sit ciuitas. Vel quis eius conditor
fuerit. Quis in dubium uertit utrum fuerit Troya utrum
Babilonia illa magna Utrum regnum assiriorum Utrum
regnum persarum Utrum regnum grecorum Utrum regnum ferreum